

SCRIBONIVS LARGVS

costi X p. I, capparis radicis X p. I, hederae nigrae bacarum X p. II,  
periclymeni, quam silvae matrem vocamus, pondus victoriati, galbani  
pondus victoriati, cardami nigri, id est nasturcii, seminis X p. II. et vic-  
toriati, piperis nigri X p. I, scillae coctae X p. XII. haec omnia colligun-  
tur melle, fiunt globuli. dantur pondere X duum vel unius ex melle et ace-  
to mixtis cyathis quattuor aut tribus. eadem facit ad hydropicos bene ex  
aqua mulsa, urinam movet.

CXXX. Lienosos sanat extra impositum: sinapis sextarius unus mace-  
ratus et tritus adiecto sextario uno lentis aceto coctae. oportet autem im-  
positum esse medicamentum, donec dolorem pati non possint; postea 10  
solio calido demittantur, ubi plures eos contineant, dum desinat dolor;  
alioquin exilient: maior enim fit dolor calda tactis; postea ceratum ex  
rosa imponere oportebit.

CXXXI. Aliud eadem ratione impositum melius facit: sinapis sexta-  
rium, git cyathos duos, nasturci cyathos quattuor, myrobalani corticis 15  
cyathos quattuor, piperis cyathos duos. sinapi aceto aeri pridie macera-  
tum, deinde tritum, contusum ceteris miscetur. in panno inlitum medica-  
mentum imponitur, fascia quam longissima alligatur vel pluribus in unum  
commissis, quo tardius solvatur. hoc est efficacissimum et multorum  
annorum tollit duritiam. sed post hoc si quae reliquiae remanserint, am- 20  
moniaco tollendae erunt et rubo.

CXXXII. Infantibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens  
ferrum demissum <est>, vel lac caprinum capra tantummodo hedera pa-